Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

27.

suppositum bis deorsum trahe. Pro signo vocabuli alicuius, id est si queras quis vocaris, cum summitate indicis caput in dextera parte tangas. deinde manum extra cum quem interrogas extentam aliquantulum move. quod semper querendi signum est. Pro signo luminis extinguendi, premisso luminis signo, mortui signum adiunge. hoc est indicem per obliquum gutturis trahe. Pro signo cimiterii indicem inflexum attrahe. iterumque mortui signum adde. De signis edificiorum.

Pro signo edificii cuiusvis, summitatibus digitorum utrisque compositis ac erectis manus inferius disiungas, ac si tecti similitudinem exprimere velis. Pro signo ecclesie premisso generali signum sancte crucis adde. Pro signo capitulii premisso generali signum quod pro venia facis adiunge. Pro signo auditorii premisso generali indicem ad [illegible] aurem appone. quod est fabulandi atque audiendi est signum. Pro signo dormitorii premisso generali signum dormiendi addes. Pro signo necessariarum premisso generali indicem ventri appositum deorsum trahe. Pro signo calefactorii signum caloris adiunge. Pro signo camere premisso generali numerandi signum adde. Pro signo infirmarie signum egrotandi adde. Pro signo refectorii signum comedendi adde. Pro signo coquine premisso generali signum caloris comedendique ad differentiam calefactorii adiunge. Pro signo armarii premisso generali libri signum adde. Pro signo claustri premisso generali indicem deorsum versum circumfer, quod est signum circumeundi. Pro signo celle [illegible] novitiorum premisso generali signum rei nove adiunge. Pro signo sacristie pre[illegible]pone. generali signum pulsandi adde. Et ut conclusionem de talibus faciam, quicquid huiusmodi signare volueris, generali semper premisso, et sequentia adiungas. Pro signo processionis indicem super indicem in modum crucis pone, adiungens signum circumeundi. De signis cere. candele. cuiuslibet. laterne et absconse.

Pro signo cere manibus adinvicem coequatis candelas facientem simula. Pro signo candele idem facies addito caloris signo.